

idem Castrum suum sua antiqua jurisdictione destitui, fidelitati igitur universorum et singulorum Nobilium unius sessionis praedictorum earundem serie praecepisset et mandasset, quatenus acceptis eisdem a tunc in antea ad dictum Castrum suum Kemlek audire, servitiaque solita facere, ac proventus ad ipsum Castrum suum Kemlek de medio eorum ab antiquo fieri debentes semper tempore suo administrare et administrari facere deberent et tenerentur. Nam alioquin strictius commisisset earundem serie fidei suo Egregio Andreae de Labathlan Capitaneo Castri sui Medve &c., ut ipse ipsos Nobiles et quemlibet eorum ad hoc ipsum faciendum per omnia onera et gravamina ipsorum acerbius compeleret et adstringeret, autoritate sua earum serie sibi in hac parte attributa mediante. Aliud igitur nulla ratione facere praesumeret. Ex continentis autem tertiae Litterae, videlicet dicti Capituli Ecclesiae Zagrabienensis fassionelis et privilegialis, die Dominico proximo ante Dominicam Oculi Anno Domini 1491 praeterito emanatae, inter caetera informabamur: Quod Andreas Both de Bayna Capitaneus Castri Medve, oneribus Egregiorum Ambrosii et Joannis similiter Both fratrum suorum Carnalium, et aliorum proximorum et consanguineorum suorum in se assumptis, ab una, parte vero ex altera Ladislaus Ribicz de Dragosincz et nonnulli alii Nobiles in eisdem Litteris conscripti, in ipsorum et universorum Nobilium in Districtu Castri maioris Kemlek modo simili oneribus et quibuslibet gravaminibus eorum in se ipsos assumptis, coram Venerabilibus Magistris, Joanne Goriciensi, Martino Chasmensi et Stephano de Raszlovicza, Canonicis eiusdem Capituli, quos idem Capitulum ad instantem et legitimam petitionem dicti Andreae Both et dictorum Nobilium, eo, quod idem Andreas Both et Nobiles praedicti propter discrimina et metum Almanorum, qui tunc in serie Capitulari commorati fuissent, ad ipsam fassionem audiendam de ipsorum medio destinassent, taliter inter caetera concordati fuissent: Quod quodcumque in successu temporum Octavae et Judicia Regni celebrarentur ipsisque Nobilibus dicti districtus maioris Kemlek placitum fieret, ex tunc Universa jura et privilegia, praerogativas et exemptiones Litterasque et litteralia ipsorum Instrumenta et eorum Originalia in ipsis Octavis aut judiciis coram Judicibus ordinariis et Magistris Prothonotariis producere et exhibere possent et valerent. Quod si ea Jura, Privilegia, Praerogativae et Exemptiones Litteraeque et litteralia instrumenta ac eorum Originalia per eosdem Judices Ordinarios et Magistros Prothonotarios efficacia et vigorosa ipsisque Nobilibus dicti Districtus super exemptionibus eorum sufficientes Vigorosaque ac efficacia et approbata ex eorum revisione fore comperta fuerint, extunc iidem Nobiles ab omni jurisdictione, subiectione, jugoque et servitute dicti Andreae Both ac fratrum, prolium et consanguineorum, per consequensque dicti Castri maioris Kemlek, futuris temporibus penitus et omnino absoluti, suportati et exonerati, numeroque et caetui ac catervae aliorum verorum Nobilium huius Regni juncti ac connumerati essent et ipso facto haberentur. Si autem Jura, Privilegia, Praerogativae et Exemptiones, litterae et Litteralia Instrumenta per dictos Nobiles in ipsis Octavis aut judiciis coram praefatis judicibus ordinariis et Magistris Prothonotariis producenda, per eosdem Judices ordinarios et Magistros Prothonotarios super Exemptionibus et Praerogativis minus efficacia et vigorosa comperta fuerint Ex tunc ipsi Andreas Both et fratres eiusdem praefatos Nobiles ipsorumque haeredes Universos sub solutione proventuum et exactionum, in iisdem Litteris fassionalibus denotatorum, absque aliquali superapposito onere et gravamine sive impedimento pacifice et